

SIGNIFICATIO COMETÆ

QVI ANNO M. D. XXVII. APPA-

ruit cum passionibus eius, scitu iucundissimis, à Ioanne Vo-
gelin Haylpronnenfi, Viennensi Mathema-
tico demonstratis.

IO. ROSINI EPIGRAMMA.

Vos quibus æterni metiri sydera mundi
Est cura, Vates dicite syderei,
Quid diros cælo toties ardere Cometas
Cernimus, & passu triste rubere comis?
Bella ne sæua manent miseros? an acerbior armis
Pestis in humanum sæuiet atra genus?
Dicite quicquid erit. minus officit ira deorum
Qui moniti puris thura ferunt manibus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC ILLVSTRISSIMO SACRI ROMANI IM-
perij Principi, & Domino, domino Bernardo tituli S. Stephani in
Cælio monte presbytero Cardinali ac Episcopo Tridētino, serenif.
& potentif. Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque, &c. Regis su-
premo Cancellario, &c. Domino ac patrono suo clementissimo,
Ioannes Vogel in almæ Vniuersitatis studij Viennensis ordinarius
Mathematices professor, S. D. P.



VANTO labore quantæque industria prisci
Mathematici posterorum commodis inuigila-
uerint, tametsi multæ aliæ, quarum authores fu-
erunt, artes, quibus omnis generis scientiæ, imò
etiam militaris ars & res ciuilis, non parum ad-
iuuantur, docere possunt: tamen Astronomia ut
alijs Matheſeos partibus antecellit, ita illud ma-
ximè perspicuum facit. Nam (ut ex ea docemur) hi non solum erratica-
rum stellarum multiplices motus, stationes, regressus, progressusq;, ef-
fluxiones, occultationes, coniunctiones, alternasq; irradiationes certif-
simis legibus astrinxerunt, verum etiam rem (ut Plinius ait) etiam
Deo improbam aggressi, fixorum syderum numerum, proprium mo-
tum, loca vera, figuras, magnitudines & naturas posteris tradiderunt.
Potuit tamen (quod miraculi est loco) Cometa, siue æternum sydus, si-